

proclamare, memores Demosthenis sententia, qui interrogatus, quidnam esset in dicendo efficacissimum? Respondit, Hypocrisis. Taxat ejusmodi stolidissimam sapientiam, ac sapientem in risum stultitiam Sebastian. Stadelius, nomine Trajansmi. Ita de Circumforanea literator. vanitate, pag. 291. inquit: Pedantissimus est ambitio ex hujusmodi eruditione nata, qua versatur in rebus non maximi momenti. Hac ambitio quia inopiam iudicij prodit, non potest non gignere facta meprisima, & qua largam prebeat ridendi materiam. Color uterque expositus, ut constet, cur Moria, sive Stultitia cum Minerva.

Lustratio insula Lemni.

17 Hac etiam die, 9. Munychionis, lustratio insula Lemni. Gyrald. de Ann. & Mensib. n. 33. Causa expiationis fuit crudelis truculentia foeminarum Lemniarum, quae quidem despicientes Venerem, ceteris Dijs in sacrificijs celebratis plausu, illam proposito pratermiserunt. At illa dividi percita retrum foetorem Erinny vocata in illas immisit, ut mariti eas fugerint, & ad servas retenderint Thraces, quas ex bello captivas abduxerant. Uxores haud aequo animo injuriam ferentes una nocte mares cunctos jugularunt. Deinde veritate, ne cum filij adolevisent patres truncatos ab illis ulciscerentur; illos ad unum trucidarunt. Natal. Comes, 4. Mytholog. cap. 13. & fuse Eurip. in Hippolyt. Propter hujusmodi carnificinam insulae quotannis fiebat expiatio, per navem quam vocabant Theotim. Fuit & Theotis sacra Lemnorum (refert Philostrat. Heroic. in Neopolem.) qua Lemnus ipsa quotannis expiatur ob scelerratum facinus in viros, commissum a mulieribus, & in nonum diem ignis, qui in ea erat exinguebatur. Alius asseritur ex insula Delo. At si primumquam insula posset expiari, ad illam navis accedere non posset, nulli regionis insulae appellere fas erat; sed in pelago vagabatur, quousque Lemnum attingere valeret. Cum autem navis accessisset post invocationem Deorum terrestrium & Arcanorum, ignem civibus distribuere, omniaque sua in melius mutabam, per adventum ignis ex Delo veeli, ac in mari vigilanter custodiri. Idem narrat Gyrald. de Navigij, cap. 8. & Quint. Smyrneus, seu Calaber, 9. Paralip. a v. 338.

Hypsipyle pietas.

18 Inter foeminas duntaxat Hypsipyle pia, qui patrem occulte servavit; uti diximus, 13. Januar. n. 7-16. Februar. n. 17. Lemnus insula sacra erat Vulcano, quia ibi cecidit, quando pulsu pedis summi Numinis in terras dejectus. Ibi erat terra sigilla-

ta, quae malorum medicamentum, immo alexipharmacum, ut dicemus, Isagog. Decembri. n. 11. sed tantum terra, ubi cecidit Vulcanus, uti observat Philostrat. d. in Philoet. ubi: Gleba Lemni, in quam cecidisse Vulcanus dicitur; insanos expellit morbos, sanguinis profusum sistit, & ex Serpenibus nativis morsui occurrit. Addit Natal. Comes, d. lib. 2. cap. 6. Est calida quadam vis terra ejus insula, cujus usus vermes necat, si fiat ex ea lustrum cum vino albo: atque non parum prodest illis etiam qui venenum hausserunt, multasque alias facultates praterea obtinuit. Idem Coel. Rhodigin. 23. cap. 29. Qua de causa subdit: cum Apollinem Smyntheum consulisset Philoetes, ictus sagittis Herculis hydræ veneno tinctis; justus est pro sanitate in Lemnum abire, quod utique restituendus perfectæ valetudini ex ulcere gratiæ terræ sigillata. Adi, 3. Februar. n. 12.

In Lemno terra sigillata.

Philoetes Janatur ita.

Melampus sacra.

19 Eodem die fiebant sacra Melampus, vel Melampodi apud Argivos. K. Grac. Festa signat Pausanias, cap. 42. ubi: Melampodis templum est. Sacrum faciunt & festum diem quotannis celebrant: futura vero prædicendi, neque ex somnijs, neque ex alia ulla ratione scientiam tribuunt. Dicit vero Apollodor. 1. Bibliothec. n. 20. Melampus cum ruri esset, ac pro suis adibus quercus existeret, in eaque serpentium latebra esset; occisus à ministris serpentibus, cetera quidem repulsa, congestis lignis concremavit, atque serpentium partus educavit: qui cum ad justum corporis modum increvissent, ipsum jam dormientem circumsternunt, & ex utroque humero illius aures linguis extergebant: tandem expergestus super volitantium avium voces intelligebat; & quæ ab ijs futura edocebatur, mortalibus prædicebat. Per aruspicinam præterea vaticinari, non ignorabat. Ad hæc, Apollini obviam fluxus; de cetero vaticinandi peritissimus evasit. Plura de hujusmodi superstitione diximus, Tom. 8. 7. 10. n. 41. Etiam addit Pausanias aliquot præstigiæ, cap. 146. & cap. 60. inquit: Furor foeminas invasit; ut cum intra domesticos parietes contineri non possent, per totum agrum palantes; inventus est tandem Melampus, a quo sanatae sunt.

20 Apud Cretenses quotannis 19. grad. Solis in Piscibus celebrabatur in vitam revocatio Glauci, filij Minois, Regis Insulae, qui in Labyrinthum incluserat Minotaurum. Theopompus, lib. 16. & Phocius in Biblioth. Variæ ab AA. fit hujus fabulae narratio: equidem alij ab Æsculapio, ut refert Hygin. Fabul. 49. & lib. 2. n. 4. alij à Polyido, ut vult Natalis Comes, & ipse Hygin. Fabul.

Glaucus in vitam revocatus & quomodo.

136. restitutum ad vitam asserunt. Glaucus puer cum murem insequeretur (& ut alijs placet, cum pila luderet) in dolium mellis cadens, suffocatus est. Hunc cum Minos quæreretur, & oraculum consulere, illi responsum, illum in vitam restitutum filium, qui diceret, cui similis esset bos tricolor Minois, qui in agro pascetur. Hunc Polyidus similem esse dixit rubo. Statim à Minoe comprehensus, iussus est, & filium indicare & in vitam restituere. Natal. Com. 8. Mytholog. cap. 5. Oraculum ab Hygino, d. refertur: nimirum: Monstrum vobis natum est, quod si quis solverit, puerum restituet. Monstrum erat vitulus qui ter in die colorem mutabat, in album, rubeum & nigrum: Polyidus simile monstrum dixit mori, cujus fructus primo albus, deinde ruber, postremo niger. Coactus est augur Polyidus quærere Glaucum, & ut suscitaret, jubet Minos cum puero in monumentum includi, quousque vivum redderet. Ille cum serpente ad cadaver properantem vidisset, interfecit. Hoc facto altera serpens ut parem suscitaret, herbam quandam attulit, cujus tactu, serpenti spiritum restituit. Eadem capitur à Polyide, Glauco applicuit, & ita revocavit in vitalem halitum. Valeant nugæ, & ut magis amandentur, pende, quomodo fictum ad illum translata virtus prophetica Polyidi. Hic adactus Regis imperio, abiturus propriam domum, præcepit Glauco, ut in ejus faciem spueret. Quo facto omnem vaticinandi vim expuit, & peritiam expectoravit. Bonifac. Rhodigin. 12. Histor. ludicr. cap. 3.

Bos tricolor

Glaucus hausti vaticinia à Polyido.

DIES X. MARTIJ.

VI. Id.

1 Grad. 20. Solis in Piscibus, in quo Pegasus occidit matutino, & Milvus à sublimi deorsum vergit. Ptol. Vindemiator occidit, Arcturus emergit, & gelidus stat Aquilo. Colum. Felix signatur hic Piscium gradus à Dariot. A Firmico infaustus, qui sub illo nati, errabundi vagique per terras: sed Marte radiante, in prima etate erunt captivi & servi. Testimonio Alstedii in Uranom. & Andr. Argoli 3. Ephemerid. Arcturus oritur vespere. Hoc in gradu juxta Junctin. lib. 5. & Firmic. d. cap. 17. oritur Heniochus: sub quo qui nati medici peritissimi. Vide Isagog. a n. 7. Luna noctu lucens. Sphaer. Arab.

Preparatur Agnus Paschalis.

2 Eligitur iussu Dei, cum populus esset in Aegypto, agnus anniculus immaculatus immolandum in Paschate & illa nocte edendus, in quo Phasæ Domini. Exod. 12. 3. In

ædes agnus deferebatur & custodiebatur, ut ad vesperam immolaretur præfato die, & ederetur nocte. Leon. Mar. Tunc Moyles & Aaron relinquentes regiam, profecti sunt in Rameffen, ut filij Israël ibi congregati pararent Agnum, die 13. præparent; & sequi mactarent. Joseph. 2. Antiq. cap. 2. Ideo hodie Luna 10. parabatur Agnus & 14. immolabatur, quia prima dies mundi fuit die 11. & ante mundum 10. Lunaque fuit facta die 14. Petr. Comest. in Exod. 25. in Addition. 1. Sed insulse. Aptè, si diceret agnum illum significasse Christum Dominum, mundi tolerantem peccatum, uti Hebraeis dicit Petrus 1. Epist. 1. 19. Pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos. Anno sequenti intimatio celebritatis Phasæ in monte Sinai juxta ceremonias ac cultum in Rameffe peractum. Numer. 9. à 1. Seder-Ol. cap. 7. Aliquibus placuit hujusmodi ritus abolitos, ita ut nullo modo stantes; nec baculos in manibus habentes in posterum celebrasse Phasæ, de quo vide Maldonat. in Matth. 26. 20. Mihi sententia non arridet: igitur loc. cit. Exod. v. 25. dicitur: Cum introjeritis terram, quam Dominus daturus est vobis, observabitis ceremonias istas. Patet in Azymis innumeris testimonijs. Ab hoc secundo Paschate ulterius per 39. annos haud Phasæ celebrant; quousque sub Josue Principe pervenerunt ad campestria Jericho. Josue, 5. 10.

Quare?

Indicitur Pascha.

3 Eodem die anni sequentis, oblatio Ahiezer pro tribu Dan in consecratione erecti Tabernaculi, eidem muneribus, quibus Principes præcedentes. Numer. 7. 66. Post 38. annos, mors Mariæ eodem die. Ibid. cap. 20. à 1. Fuit Heroïna insignis, Soror Moylis & Aaron, & propter mortem ejus jejunium quotannis institutum in Israël. Leon. Mar. Scaliger. & Joseph. d. 4. cap. 4. Tunc murmuravit populus de aquæ defectu; quia propter Mariam (quæ portabat in pectore lapidem ex quo aqua) defecit, fato cum esset functa. Illa enim mortua aruit puteus aquarum viventium, quæ fluebant à Libano uberum ejus: hac enim de causa, cum esset populus sitibundus, Rex Arad, quasi desertum à Deo decrevit adoriri. Dignum ratiocinium cogitationibus R. Salomonis. Idem asserit Philo Bibl. in Antiq. Hebraic. Seder-Ol. cap. 10. ita effudit mira & fingit. Tres præstantes Pastores & nutritij asiterunt Israeliis, nempe Moyse, Aaron & Maria. Tria insignia dona illorum in-

Mariæ mors & jejunium.

Puteus aquarum datus populo per Mariam merita: columba ignis per Aaronis, Manna per Moyse.

intervenit concessa sunt : puteus , scilicet , columna nubis & Manna. Manna quidem Moyses , columna nubis Aaronis , puteus Mariae meritis. Unde mortua Maria sublatus est , recuperatus tamen postea meritis Aaronis & Moyses. Mortuo Aaron , disparuit nubis columna , etsi postea sit illis Moyses merito reddita. Mortuo Moyses perierunt tria haec , nec recuperata : nam scriptum ( Zachar. 11. 8. ) Succidi tres pastores in mense uno. Etsi enim mense uno eodemque tres hi minime ex hac vita migraverint ; sed eodem potius anno ( Maria enim factis concessit 10. d. Nisan , Aaron 1. Ab , Moyses 7. Adar ) tamen quoniam quo die Mortem subiit Moyses , tria ista ita interciderunt , ut non amplius apparuerint ; tres pastores uno dicuntur mense excisi. My , insignes interpretes ! Maria obiit quatuor ferè mensibus ante Aaron , & undecimo ante Moysen , uti patet 7. Febr. & 1. Jul. Observat. Alapid. in loc. praef. Numer. & Adrich. in Chron. Claret , falli Genebrard. ann. 2670. ubi subdit : Ibi mortua est Maria : puteus deficit , ex quo nova querimonia & seditio , donec reslueret. Insuper prorsus.

4 Eodem die ann. 40. ab exitu ex Aegypto , filij Israël transeunt Jordanem sicco pede in terram promissam. Sacerdotes Arcam praeferentes primi ingrediuntur , & ecce mox aquae superiores instar montium consistunt , in mare mortuum inferiores defluunt. Sacerdotibus sic stantibus , populus Israël per siccum alveum transiens terram promissam ingreditur. Adrich. d. ann. 2493. Briet. 3584. ex Josue 3. à 7. Populus ( dicitur Seder-Ol. cap. 11. ) ascendit de Jordane d. 10. Mensis Nisan , & tulerunt sibi 12. lapides de exteriori Jordani ripa & posuerunt eos , ubi steterant pedes Sacerdotum : praeterea tulerunt alios 12. lapides de medio Jordani alveo , & posuerunt eos in Galgal , contra orientem urbis Jericho. Ubi factum est ( subdit Joseph. 5. cap. 1. ) & ipsi egressi fluvium , liberum ei solitum cursum reliquerunt , qui confestim auctus ad pristinam aquarum molem rediit. In lapidibus eductis scriptam fuisse legem ; asserunt Rabbinii. Latè de hujusmodi tractu Serar. in Josue , cap. 2. quaest. 5. cap. 4. p. 2. quaest. 2. & p. 3. quaest. 6. Septem linguis in eis scriptam legem , dicitur Seder-Ol. loc. cit. Tertullian. 4. Advers. Marcion. cap. 13. quasi fuissent lapilli , in Arcam Testamenti reconditi ; insulse autumat R. Levi , juxta Arcam , ut ter quotannis venientes Israelitae , stupeficerent ad miraculi novitatem : qui quidem lapides translati cum Arca. Ineptiae. Joseph. quò supr.

Transitus Jordanis.

Lapides 12. ex ejus alveo educti.

In quibus scripta lex.

A Jesu ( subdit ) ara extructa est à lapidibus , quos singuli tribuum Principes ex alveo , Propheta jubente , susulerunt ; ut monumentum esset prodigiose refrenati fluminis , & sacrum in ea Deo fecit , & Pascha solemnitas eo loci celebrata est. Hieronym. in Eptaph. Paula , in fit : Inuita est castra Galgala , & acervum praepuriorum , & duodecim lapides , qui de Jordani illuc translati alveo. De istis lapidibus , ait Alapid. loc. cit. Josue , dixisse Joannem Judaeis , Potens est Deus de istis lapidibus filios Abrahæ suscitare. Luc. 3. 8. Arbitror designasse lapides ex altari Testimonij , quod exerunt Ruben , Gad & dimidia tribus Manasse super ripam Jordani , ubi praedicabat Baptista. Vid. Adrichom. in Benjamin. num. 11. Cuncta fuse describuntur loc. cit. Josue. Ubi notandum sine pondere tunc fuisse Arcam , sicut dum translata à Davide , & deportata in templum à Salomone : de quo suis loc. Hebraei nugantur , somniantes , Arcam , dum trajiceretur Jordani alveus , elevatam fuisse super aquas , & ideo non fuisse portatam à sacerdotibus in humeris ; sed sacerdotes cum illa elevatà ambulasse super aquas. Sanctius , in 2. Reg. 6. n. 17. Abulensis & Lyranus , in Josue , 4. 10. August. in Josue , quaest. 3. ( quem secuti Abulens. Ar. Montan. & alij ) asserit , ante transitum Jordani columnam evanuisse nubis , eò quòd v. 4. dicatur à Josue : Sit inter vos & Arcam spatium , ut procul videre possitis & nosse per quam viam ingrediamini , quia prius non ambulastis per eam. Hinc factum , ut etiam triduum illud ex humana dispositione praediceretur. Intrans ergo filij Israël in terram promissionis , eam invenerunt , uti dixerant Josue & Caleb , Numer. 13. nequaquam ut delirant Talmudistae tractat. 3. distinct. 5. & Mahometes suum paradisum efformat. Fallitur Petr. Alexandr. in Chronic. pag. 183. ubi : Jesus filius Nave , cum Israelem in Chananeorum regionem decima primi mensis per medium Jordanem deduceret ; Dei nutu Solem & Lunam stitit. Adi 27. April. n. 5.

5 Ab hinc ann. 378. juxta Turfellin. & 395. juxta Adrichom. comitia Israël in Maspha , judice & praefide Samuele , qui postquam penitus objurgavit , eò quòd abjecto Deo ceterint Regem , ad fortem arte recurrit , ne de illo , qui de omnibus , vocales quererentur. Sortes mittuntur , caditque signum super Saul , qui domi absconditus , cognitis approbatione meritis , tum quia absens à senatu in Principem eligitur , cum quia praefens coram cunctis toto capite supra reliquos eminebat. Reuel. ex 1. Reg. 10. 17.

Arca sine pondere.

Columna nubis defecit.

Eligitur Saul in regem Israel.

17. & Joseph. 6. Antiquit. cap. 5. Accidit tunc quod in cunctis electionibus , etsi è caelo. Alij electum extollunt , alij despiciunt : v. 24. & 27. Samuel locutus est ad eos legem regni , & scripsit in libro , quem repositum in Sanctuario. v. 25. Legem regni , de qua Deuter. 17. à 14. & 28. à 36. minime quam signat 1. Reg. 8. à 11. uti jus Regum ; quia ibi praedicit , quod Reges solent facere , haud quod debent.

Antilogia.

Josias mundat templum , in quo Arcam solio. at.

Arca exportata de templo.

6 Post ann. 450. juxta Briet. ante Phasce celeberrimum , Josias mundato templo , Arcam recondidit ibi : dixitque Levitis : Portate Arcam in Sanctuario templi , quod edificavit Salomon , filius David : nequaquam eam ultra portabitis. 2. Paralip. 35. à 3. Seder-Olam , cap. 24. Quomodo mundaverit , & à quibus immunditijs , dicitur 4. Reg. 13. à v. 10. Briet. Ann. V. C. 112. tempore Ammonis genitoris Josias exportatam à templo Arcam Foederis , astruit. Hieronym. in Tradition. seu in Paralip. 99. loc. cit. qui subdit : Arca Domini elata de templo fuit , quam modò in templum reduci Josias praecipit. Tempore enim Achaz , quando simulacra in templo missa sunt ( vid. 27. Jul. ) elata est inde , & ducta in domum Sellum , viri Holdæ avunculi Hieremiae , ubi permansit usque ad tempus Josie.

7 Retrò annis 69. incepit Senioris Tobiae super caecitatem maxima tribulatio , quae contigit , haud anno post caecitatem , praet cogitat Briet. Ann. V. C. 32. sed 104. aetatis senis , 60. paulò antequàm ei restitueretur oculorum lumen , ut ex contextu liquet : siquidem , cap. 3. 1. dicitur : Tunc Tobias ingemuit. Si tunc , non pridem. Acerbus unguis in ulcere : igitur grave in dignatis amicis non solum non invenire amicitiam , sed injuriam pro favore suffectam. Parentes & cognati ejus iridebant : cap. 2. 16. Aegre fertur ab afflicto per cognatos non modò solatij nihil accipere , sed despici & irideri. Tobias magnanimè tulit , quia felix habebat conjugem fortunae sociam , & de viro sollicitam ; ita ut manibus per viciniam laboraret , ut domum aliqua cibaria afferret. Ut ergo sensibilius esset vulnus , insultum per illam construxit diabolus. Cum ergo pensa creditoribus dedisset , & summè placerent ; ultra mercedem hoedum gratis donarunt ( Graecus astruit , sublatum furto ) quem domum pertulit : ubi balantem audivit Tobias , quasi furtivum jusit reddi. Foemina , uti foemina , haud malis affueta , pro viri solamine usque in lassitudinem studiofa , aspera in increpatione & fervente vile , vel quia innocens , vel quia rea ; gravia convitia in virum evomuit , immò & in Deum , Tom. I. Ephem.

quasi illi servire , esset inutiliter infructuosum , cum virum pium tot virtutibus videret affictum , caecitate , & amplius inopia , oppressum. Summè displicuit Tobiae conjugis dementis judicium , Numini in cunctis justo atque sancto injuriosum : & etiam erga se vibratam immeritò , torvè audivit acerbitatem , ab illa quae esse debebat acerbitatum mulcimen. Vomica recruduit , sed biduò tabescens tacuit : tuncque ingemuit solus plorans , & desponso animo , exprobrationis etiam & conjugis taedio ; eripi cupit , supposita Numinis voluntate , è vita praefenti ; quoniam in illo & ex illo articulo , illi expediebat mori magis , quam vivere : cap. 3. 6.

8 Cur tunc hoedum attulit , cum ad alia magis urgentia , opus esset illius labore ; mihi visum ob festum Paschae proximum : igitur hac in die , ut diximus supr. n. 2. Agnus immolandus in plenilunio , deferebatur in aedes ; Exod. 12. 5. Juxta quem ritum tollentis & hoedum. Etsi extra terram sanctam Hebraei haud obnoxij huic & similibus legibus ; viri justi , praet poterant , observabant , ut hic constat de die Pentecostes , 2. 1. Cum esset dies festus Domini : & maximè , quia juxta Augustin. Contra Faustum , lib. 22. cap. 87. tota historia praefens contigit à festo in festum : à Paschate usque in Pentecostens ; in cuius vespera , nurus Tobiae , jam tunc illuminati , cum universa familia in ejus ingressa domum , uti videbimus die 5. Maij , n. 5. Juxta Salian. Ann. 3335. à missione junioris Tobiae usque ad reditum in Ninivem , absumpti sunt dies 34. In sententia Torrielli , Ann. 3329. n. 3. dies 38. Praet placet , nec sine fulcro , Serario , in Tobia , 11. quaestione. 4. consumpti sunt dies 49. quem sequemur.

9 Hac in die , anno 25. à captivitate Babylonica ; & 14. ab excidio Jerusalem , ductus est Ezechiel in spiritu in Jerusalem , & collocatus in monte nimis excelso , vidit pro templo Salomonico incenso , formam alterius pulchriorem , elegantiore , ditiorum ac pretiosiore ; & qualiter cuncta restituenda in melius in Numinis cultum , simulque quomodo distribuenda erat terra Sancta tribubus Israel : sub cuius figura , etsi arcana , latent sacratiora mysteria , ut patet in porta illa semper clausa , quamvis Summus Pontifex egrediatur per eam. Ezech. à cap. 40. usque in fin. Addi PP. & Expositores , ac ex Chronologis , Briet. Ann. 3460. Adrich. 3386. & Torriell. num. 1. ex Seder-Olam , cap. 26.

Quo inuitu attulit in aedes hoedum?

Quoti dies peregrinationis Tobiae junioris?

Ezechielis visio de materiali & mystico templo.

10 Eodem in die anno sequenti occiditur Propheta à Judice captivorum Israëlitarum in Babylone ( Martyrol. Rom. assignat 10. April. sicut Græci in Menolog. 21. Jul. ) Rabb. Abrah. in Histor. Cabal. Mensuræ templi futuri ab illo in catagrapho descriptæ , etiam post ædificationem servabantur in Exedra , quæ erat super portam Orientalem , in qua etiam Metropolis Susæ exemplum cum illis erat depictum : qui quidem locus post destinatus Legis Doctoribus in conciones ad populum. Talmudistæ , Tract. Kilaim , & Genebr. Ann. 3638. De sepulchro Prophetæ ejusque miraculis loc. citat. præmittit verò Benjamin. in Itiner. à pag. 71. Juxta Euphratem Ezechielis Propheta Synagoga , atque in eodem loco è regione Synagoga , sexaginta turres , interque singulas turres singula quoque sunt Synagoga , atque in Synagoga atrio area est : & post Synagogam Ezechielis , filij Buzi sacerdotis , monumentum sub magna & pulcherrima testudine à Jechonia Judæ Rege , constructa una cum triginta quinque millibus Judæorum , qui illum ab Evilmerodach ex carcere liberatum secuti sunt. Est locus hic inter fluvium Cobar & flumen Euphratem : atque in muris ipsius Jechonias & qui cum eo venerè incisi sunt. Locus hic est sanctus ad hunc usque diem : eoque loci certo tempore multi precationis causa conveniunt ab initio anni ( civilis , scilicet ) ad expiationem usque festum ; ibique latissimos agunt dies : & Princeps ille vir , quem captivitatis caput nominant , cum alijs Synedriorum capiribus , huc etiam ex Bagdad ( Babylone ) adveniunt , omnesque in agro illo commorantur tentoria figentes ac celebrantur nundina ex mercatoribus Arabic. Produciuntur autem hoc tempore liber magnus , auctoritate atque antiquitate celeberrimus , ab Ezechiele conscriptus , qui Expiationis die legitur. Super Ezechielis sepulchrum lampas perpetuè ardet nocte ac die , ex quo primum ab ipso Propheta incensa fuit. Est etiam ibidem magna edes plena libris , conservatis tam à domus prima quam secunda tempore : estque moris & fuit ; ut qui liberos non haberint , eo loco suos libros consecrarent. Ismaelitarum quoque Principes huc conveniunt precationis causa. In hoc loco ad dimidium milliare , Anania , Misael & Azaria sepulchra , cum singulis magnis & pulchris formicibus : & quamquam bellum in regionibus accidat ; nemo mortalium est , qui hac loca vel violare vel tangere audeat nec ex Judæis , neque ex Ismaelitis propter Ezechielis prophetæ reverentiam.

Ejus nex.

Mensuræ templi in porta Orientali.

Synagoga Ezechielis.

Sepulchrum.

Ibi recessit Jechonias.

Liber Ezechielis.

Lampas.

Bibliotheca.

Trium puerorum sepulchra.

11 Ann. Christi , 33. ut refert Castell. ( juxta alios Chronicos 34. ) exit de Jerusa-

lem in Jericho , monens discipulos in virtute perseverantiam , quia multi vocati , & pauci in cœleste regnum electi : quò perveniens cœcum illuminavit , ingredientique in urbem , vocavit Zachæum , qui illum hospitem suscepit in domum suam : postque è civitate egrediens duos alios cæcos illuminavit : ex Luc. 18. Alia referuntur à Polo , sed sine fulcro.

12 Romæ sacra Diti Patri & Proserpinæ in ara subterranea. Plutarch. de Diebus. De his Deastris plura suis diebus. Marlian. in Topograph. Roman. cap. 107. & in Epitom. 6. cap. 8. ait : Terentus in Campo Martio locus est , eò sic dictus , quod in eo ara Ditis occultata esset ; vel quod aqua Tiberis ripas tereret. In eo loco Evander , ex Arcadia profectus cum classe substitisse dicitur. Unde Ovid. 1. Fastor. v. 501. Aspicit

Fluminis ille latus , cui sunt vada juncta Terenti.

Hic Anton. Constant. inquit : Locus est in Campo Martio sic dictus , quod Ara Ditis Patris & Proserpina ibi terra conderetur. Antiqui enim Dijs Superis in adificijs à terra exaltatis sacra faciebant : Dijs terrestribus in terra , Dijs Inferis in effossa terra. Causam hujus aræ inventionis refert Valer. Maxim. lib. 2. cap. 4. n. 4. Pestilentia ortâ , Valefius Sabinus , vir locuplex , filijs usque ad desperationem Medicorum laborantibus , genibus nixus , Lares familiares oravit ; ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent. Orta deinde vox est , habiturum eos salvos , si continuo Tiberis flumine devectos Terentum deportasset ; ibique ex Ditis Patris & Proserpinæ ara , petita aqua , calida recreasset. In navi pueris sitientibus ægris , sumpsit pater è flumine aquam , sed calida non erat , verum haud longè vitus est fumus , index ignis. Illuc processit , & aqua calefacta dedit potum filijs moribundis : qua quidem hausta , salutari quiete sopiti ( Veteratoris dæmonis calliditate ) diuturna vi morbi repente sunt liberati ; patrique indicarunt , vidisse se in somnijs nescio quos Deorum spongia corpora sua pertergere , & præcipere ut ad Ditis Patris & Proserpinæ aram , à qua fuerat potio ipsis allata , furvæ hostiæ immolarentur , lectisternia ludique nocturni fierent. Valefius nesciebat ibi illorum aram esse , & cupiebat subterraneam facere : egesta verò humo , ad viginti pedum altitudinem , invenit aram Diti Patri & Proserpinæ inscriptam & dicatam. Tunc gratis Valefius lectisternia constituit , matris hostijs nigris , seu furvis , ludosque fecit

Christi ge. la.

Sacra Diti & Proserpinæ.

Ovid.

Ritus varius pro statione Deorum.

Terentus , quis locus in campo Martio.

Sacra Murtia, & Socordia.

Venus Murtia.

Qui dicit Murtiæ.

cit ( qui posterioribus temporibus dicti sunt Sa culares , ut videbimus 20. April. ) continuis tribus noctibus , quia totidem filij liberati erant. Ita Valer. Maxim. & Constant. d. Idem fecit Poplicola , ut signatum , die 5. n. 9. Bello Albano Aram Proterpinæ altà occuluerunt terrâ Romani ; ita ut ipsis solis cognita esset ( Marlian. quò iupr. ) & tuto sacra agere valerent per tres noctes ; Regique factorum incumberebat hujusmodi munus , ut dicemus die 24. n. 8. Aufon. Edyl. 4. ab alijs , 11. v. 34. succinit :

Aufon.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Adi hic Eliam Vinet. num. 230. Hoc in loco trigesimo quoque anno sacra innovare consueverunt Romani in Campo Martio , ut ait Domitius Calderin. in Epigram. 63. lib. 10. Martial. & Philipp. Beroald. ibid. centur. 1. Iple Martial. 4. Epigram. 1. accinit :

Hic colat ingenti redeuntia seculi lustro

Et que Romuleus sacra Terentus habet.

Sacra Murtia, & Socordia.

13 Eodem die sacra Socordia sub titulo Murtia Deæ. Cornel. Labeo in Fastis. Eadem est ac Otium , de quo , 12. Februarii. n. 17. Murtia Socordia Dea sacellum sub Aventino stabat ad divum publicum , quo ascenditur ad eadem S. Prisca : unde Aventinus Murtius aliquando est denominatus. Tum quoque multis millibus Latinorum in civitatem acceptis , quibus ut jungeretur Palatio , Aventinum ad Murtia data sedes. Marlian. cap. 58. & 76. in Epitome verò , lib. 5. cap. 2. In Aventino item Murtia ara vetus fuit. Venerem autem Murtiam , à myrto ei dicata nominatur : ( causa apud Pier. Valer. lib. 50. cap. 19. qui cap. 24. præmittit : Myrtus Veneri delicatissima dedicata. Unde Pelops , Hippodamia in nuptijs victor auxilio Veneris ; ei simulacrum è myrto fecit. Idem Cœl. Gregor. 2. Hieroglyphic. cap. 24. Alia Isagog. April. à n. 7. ) Velut alij ut interpretantur , Murtiam dictam , quod hominem præter modum non moveret , sed faceret murcidum , nimis desidiosum , inactuosum & socordem. Astipulatur Plin. lib. 15. cap. 29. ubi Dalecamp. lit. K. inht : Murcia Desidia , Ignaviaque Dea. Idem Gyrald. Syntagm. 13. n. 4. Hermol. Barbar. in castigat. Pomp. Festus , lib. 11. Rosin. lib. 1. cap. 6. Rhodigin. 18. cap. 12. Augustin. 4. civ. cap. 16. & Tertullian. de spectacul. cap. 8. asserens , ædem habuisse ad Circi primas metas , propè Consi aram defossam. At P. Victor signat in Region. 9. Vives loc. Augustini præcit. Murtiam dictam ait , socordiae indicem , à viris ignavis , qui dicti Murci , eò quod vitandæ gratiæ militiæ , pollicem præcidere sibi consueverant. Alio

Tom. I. Ephem.

nomine Murtiam vocabant Quierem , ut dicemus , 5. Septembr. vel Otium , sed Demopster. in Rosin. cit. dicit Ignaviam , propter detrectationem à militia , ut notat Ammian. Marcellin. lib. 15. quod etiam vitum sub Augusto. Equitem Romanum , quod duobus suis avolecentibus , causa detrectandi sacramenti pollices amputasset ; ipsum bonaque subiecit hujus. Sueton. in eo , cap. 24. Vide alia apud Turneb. 22. Advers. cap. 17. Plutarch. in Problem. cap. 19. Benedict. Curtium , 5. de Cultu Horor. cap. 8. & Guilielm. Stuck. Sacrific. Gentil. n. 42.

14 Hinc Socordia imago cum rete viros capiente. Jacob. Boissard. Emblem. 25. ubi :

Congerit in cassem stultos Ignavia quebus : Prætexat culpa quod piger omnis habet.

Etiam pingitur sedens adorata à stolido , ore oscitante. Desidiam colit , in otia natus :

Ignavis votis tempora cuncta trahit.

Accinit Dionys. Lebeus-Batill. Emblem. 14. Alciat. Emblem. 81. pingit juvenem sedentem in choenice , seu semimodio , 83. cum alis ardeolæ stellaris ; de qua Claud. Minos hic : Pigra ( ait ) & ignava est. Demum Emblem. 80. effingit respicientem sidera , & suspectantem luminaria. Animal est vocatum Pigrina ( ait Georg. Marcegravius , lib. 6. Histor. Brasiliens. cap. 1. ) ejus caput parvum , os curbinatum , abundans saliva , oculi exigui , & somniculosi , fere sine auriculis , obrussa figura. Animal ignavissimum , & ad incessum planè ineptum. Pulchram descriptionem invenies apud Mantuan. lib. 1. de Calamit. suorum Tempor.

Sola feder , oculosque solo defixa malignum Crispa supercilium , pallens impexa capillos Phebirasim patiens scalpit caput unguibus uncis , Os immunda , manus illota , cadente saliva Barba mader , pluit imbriseris de naribus humor

Debilis , & longo pendens in pectora dorso. Lumen habet , sordent aures , vox languida , sermo

Barbarus , obscuro verba interclusa palato , &c.

Hæc filia Veneris ignavos , desides constituens adoratores ; etiam fortes milites effingat Ovidius , lib. 1. Amor. Eleg. 9. ubi ex Anacreonte , Carm. 16. succinit :

Militat omnis amans , & habet sua castra Cupido :

Qui non vult fieri desidiosus , amet.

Metaphoricè loquitur , cum fugiant castra ,

lii 2 qui

Boissard.

Imagines Socordiae.

Lebeus.

Pigrina animal.

Mantuan

Ovid.